



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

Raemond, Florimond de

Coloniae Agrippinae, 1655

IV. Italia religionis & sanctitatis mater. Haereticorum in eam calumniae
diluuntur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

infamiam illam dicetis, quæ iam diu nihil gravius fert quam infames & sacrilegos raptus atque incestus Deo dicatarum virginum? An vitiorum receptaculum illam appellabitis, cuius sanctitas & perfectio quum mores vestros perferre non posset, vobis profugiendi causam dedit? Quomodo mater voluptatum diceretur, quam vos ideo fugitis quod à carnis voluptatibus ad castitatem & continentiam invitet? An illa custos sit impietatis, quæ ipsa est pietas, & qua nihil est religiosius, ut Sancta ab omnibus præter quæ vobis, appelletur! Speculumne idololatriæ audiet, quæ torquentes & nationes ab idolorum cultu ad Christianam religionem adduxit? & nunc per utramque Indiam adducere indies non desinit. An Babylonem dicetis, in qua vix quidquam admirabilius est quam decentissimus omnium rerum ordo, ac continua Episcoporum successio, qui omnibus omnium temporum sectis fuere formidabiles, & quos etiam illæ non minus universæ oderunt, quam singulæ inter se inimicæ sunt. Quibus Tertullianus etiam hodie, quod olim ipsarum similibus, exprobrat, non posse eostam continuam Episcoporum ordinem & successionem ostendere: quo sane vel authentico & irrefragabili argumento Pontificum ostenditur auctoritas. Sed quo jure Ægyptum appellabunt, & quidem tenebrosam, eam quæ gratiæ lumen ad plerisque populos sparsit, quæque instar Phari est, ad quam omnes hæreseon agitati fluctibus navim suam, tamquam ad salutis portum, dirigant necesse est: in qua etiam Pontifex velut alter Moyses à Deo constitutus est, qui potenti virga Christianos regeret: quæ ille tot tamque mirabilia fecit, & nos per medium Mare rubrum in terram promissionis deducit; non Pharaon aliquis tyrannus, sed, ut S. Bernardus ait, [a] magnus Sacerdos, summus Pontifex, heres Apostolorum, primus ut Abel, gubernator generalis ut Noe, Patriarcha ut Abraham, ordine Melchisedech, auctoritate Moyses, Samuel iustitia, Episcopatu Petrus, & unitione Iesus Christus. An Sodomam dicent, cui Deus perpetuam & nunquam defecturam gratiam promissit: eam quæ sita est super ea petra, non quam olim augur quidam in Capitolio monstravit, exclamans, Romam prius non interituram quam saxum illud esset sublatum? sed super Fide S. Petri, pro qua D. N. & Salvator ipse Patrem oravit, ne unquam deficeret. [b]

IV. Quin potius oculos illi conjiciunt in populorum non minus perditorum vitia, non considerantes quam sæpe illi puniti sint. Peccatorem qui

in peccatum labitur & penitentiam agit, justinemen propterea non perdere Hieronymus inquit. Sic Roma, quamvis ejus incolæ Deum, ut cæteri quoque mortales, offendant, non propterea tamen non Sancta dici debet. Videamus quam multi sancti homines, qui in S. Petri cathedra sederunt, excommunicationibus aliisque remediis ovile suum, non sine maximis curis & laboribus purgare conati sint. Legantur Acta Adriani VI. Pii V. Sixti V. Clementis VIII. Quos illi labores non exhauserunt, ut omne id quod à se damnatum fuerat, exterminaretur! præsertim quum tandem animadvertissent, ipsa medicina morbos seu mala exasperari; non aliter quam in magnis sit ulceribus, per quæ mali & purulenti humores evacuantur: quibus consolidatis, illis alio defluentibus, totum sæpe corpus corrumpitur, & pro uno ulcere multa in partibus antea sanis enascuntur. Unum est, in quo secundum oculum humanum sibi videntur censes illi, qui se Reformatores vocant, pedem firmum accusando figere posse, nempe permissionem Malorum quorundam, uti sunt Ecclesiasticarum quarundam personarum vitia, & defectus quas illi mirabiles zelotæ, nescientes cuius sint Spiritus, confestim volunt de cælis igne devocato, tanquam Samaritas, vel Sodomitas, exuri. Hoc cum non confestim pro suo fatui iudicii conceptu fieri conspiciunt, confestim murum Pharisæicum repetitur adversus Pontifices, adversus Episcopos; Hic peccatores recipit, & manducat cum eis. Audio Novos Novatianos, Novos Tertullianos, Novos tales, qui non vident mantinæ quod in tergo est. Tecum habita, ajebat prudens ille inter gentiles, ut novis quam sit tibi curta supellex. Censere facile omnia possumus, emendare non item. Judæi permittuntur habitare in ditione Episcopi Romani vel aliterius, & hoc te Lutherane urit. Lupanar alicubi non incenditur, hoc calumniaris, & tu domi tuæ sentinam, & cloacam, & Sterquilinum te habere, & tolerare, imo extruere non damnas? Vide quæso, si æquis es; In bene constitutis civitatibus leprosi à sanis separantur, insani & mente capti includuntur ergastulis, domus etiam sunt peste infectis destinatae, ne serpat contagio, aliaque nosocomia. Immo ipsa quoque ganea seu lupanaria eum in finem in populosis civitatibus feruntur, ut sentina illa eo defluente, reliqui à morte animæ custodiantur; quod

[a] Ad PP. Eugenium & quotquot Controversias hujus temporis de Pontifice ediderunt ut Bellarminus, Becanus, Coturius, Forerius &c. [b] Luc. 22. 32.

quod hoc morbi generis maxime omnium sit contagiosum. Quod vero hanc unam ob causam dissoluta illa femina tolerentur, non jubeantur esse, manifestum est ex tot præclaris de castitate servanda legibus, ex tot laudabilibus custodiendæ pudicitia exemplis, ex severis denique regulis, quibus infelicia illa diaboli mancipia coercentur, adeo ut his præcipue Roma invisa sit, ob rigidam quæ in eorum vitam usurpatur, animadversionem. Non illis cum honestis matronis aut feminis Romanis conversari, non curru vehi, non noctu quemquam admittere, multo minus alios accedere licet: excommunicata sunt, privata Sacramentis, mortuarum cadavera in loca inhonestâ abjiciuntur, & bona confiscantur. An ulla quæso severior à te superciliosè Lutherane aut Calviniane excogitari possit ratio à vitii hujus scditate ad frugem & honestam vitam eas revocandi? Nolo tibi regerere sordes Doctrinæ Luthericæ libro 3. obiter monstratas; nolo regerere Confessionem ejusdem Evangelistæ de suo populo reformato editam.

Cur non potius illi, quæ assidue ibi sunt, bona opera considerant? Cur paucissima lupanaria potius, quam monasteria inspiciunt: in his enim infinitum sanctorum hominum videbunt numerum, qui Dei servitio seipos impendunt, vitæque austeritate cælum acquirere student. Templâ ingrediuntur; nec fieri poterit quin exquisitum ornatum, hominum sacra frequentantium tam multitudinem quam devotionem, frequentes, ut vocant, stationes, ac copiosas indulgentias admirentur. Quodnam illud putas esse spectaculum, videre omnes quasi Italiæ civitates ad unam Romam concurrentes, ac Principes viros, cilicio indutos, pedibus incedentes! Quid de processionibus dicam? quæ frequentissimæ sunt, Paschali præcipue tempore.

V. Noctè ea quæ Salvatoris nostri diem emortualem præcedit, Romani omnes sacco induti, cereum singuli manibus gestantes, Cardinalium aliquo singulis cohortibus, eodem vestitu crucem præferente, ad Basilicâ D. Petri proficiscuntur, Deo ibi pro peccatorum venia supplicantes, ac pœnitentiam agentes. Quid de Hospitalibus dicemus, quorum proventus annui ad trecentena aureorum millia æstimantur? nec umquam quotidianæ stipēs defunt: ubi etiam singulis fere septimanis Cardinalium aliqui pieratis, ergo pauperibus pedes lavant tantæ ædificationis piæ vi, ut non raro Acatolici Romam venientes & hæc virtutum exempla spectantes cum lacrymis fateantur sese in patria

sua mendaciis per Prædicantes suos fuisse circumventos, credendo eis, cum de fastu, de impietate Romanorum Pontificum & Cardinalium verba darent. Quid de Xenodochiis; in quibus nonnumquam xviii. aut viginti peregrinorum millibus, ipsi Cardinalibus ministrantibus, victus gratis suppeditatur? Quid de reliquis quotidianis elemosynis? de tot magnificis ædibus ad varios usus, vel educandæ juventuti, vel alendis orphanis ac pueris expositis, exstructis? ubi illi, ac præsertim filia, magna cura ad nubilem usque ætatem aluntur atque educantur. Jam quot ibi sacrarum Deo Virginum sunt monasteria? quot pœnitentium? ad quæ tota vere Roma cum incredibile gaudio concurrere solet quoties peccatrix aliqua relictis Mundi vanitatibus ac lenociniis, se vitamque suam in posterum Deo consecrat & consignat. Cui ignota est Romanarum matronarum ac virginum pudicitia & castitas? quæ tanta est, ut non colloquia solum, sed etiam aspectum virorum fugiant, fratrum & cognatorum non secus atque ab exterorum consuetudine abstineant, multum in his à Gallorum moribus abhorrentes, atque adeo oscula non secus atque ipsum adulterium detestantes: ut singulæ familiæ religiosarum sacraria esse videantur. Videant ergo quam inique faciant, qui ob unius aut alterius dissolutionem omnes impudiciæ, & ob unum Judam omnes proditoris damnant. Plutarchus ait Romam à prima sua origine incendiis valde fuisse obnoxiam: at profecto meliori jure dicemus, eam hodie maledicentiæ & calumniæ igni esse expositam. O quantam vim gratiæ suæ in illam Deus effudit! ut omnes qui æquis eam adspiciunt oculis, tam ament eam quam admirentur. ROMA, inquam, ad Orbis terrarum nata imperium: quæ à Robore nomen accepit, nomen ejusdem si converso ordine litterarum legas, merus est AMOR: cujus denique nomen in sancta lingua ad significandam Dei benedictionem, Mammellam significat. Hæc sancta illa est Ecclesiarum mater, in cuius sinu omnes tamquam filia confugiunt: hæc nutrix est, e cuius uberibus omnes sanæ doctrinæ lac hauriunt. Omnes veteris illius Regum victricis, domitricis populorum, imperiorum moderatricis triumpho nihil sunt, ad ea quæ hodie ibi admiramur trophæa, collati, quorum fastigia ad ipsum cælum pertingunt: ipsique Angeli Sedi illi triumphali lætum carmen atque ovationem accinunt. Hujus potissimum ductu atque auspiciis falsorum deorum colossis & idolis passim dejectis, Deo vivo ac vero templa atque altari-